

ctus fugatusque fuisset, quia timebat, ne ipsa sponsa ab inimicis suis per violentiam raperetur, & alia similis ei non inveniretur in regno, quam sibi posset matrimonialiter copulare: de suorum & ejusdem sponsæ parentum consilio factum est, quod in conventu habitum Sanctimonialium monasticum sine proposito perpetualiter retinendi suscepit, & ibidem per aliquot annos moram fecit, ne, quid ab inimicis injuriæ pateretur, quam cum pace redita & obtento ab inimicis triumpho solenniter duxisset cum grandi exultatione uxorem & ab ea filios suscepisset, unum eorum de communi consensu & electione Principum Sueviæ in Regnum sibi instituit successorem, procedente vero tempore, prædicta uxor graui infirmitate correpta, cum se de hac vita crederet recessuram, timore mortis inducta continentiam vovit, cumque Rex ipse nollet eam contristare, concessit ad tempus, nunc autem se continere proponit non posse, & quod licite posse fieri arbitrabatur ad thorum uxoris suæ redire cupit, & ad reprimendas æmolorum suorum detrectationes & obloquia, petiit a nobis dari sibi in mandatis, ut uxorem suam auctoritate nostra maritali affectione pertractet, non obstante voto continentiae incaute ab ipsa emisso, & ab eodem Rege ad tempus approbato. Verum quia super his Nos ad plenum non potuimus elicere veritatem, F. T. cognitionem horum & decisionem canonicam duximus committendam per A. s. m. ut super his inquiratis diligentius veritatem, & si vobis constiterit, quod prædicta mulier primo fuit inter moniales recepta timore violentiæ, & rapinæ, & propositum profitebatur se habuisse nubendi, cum inter eas moram faceret, præsertim cum postmodum in facie ecclesiæ publice Regi nupserit, & usque ad hæc tempora cohabitando filios ex ea suscepit, eam denuntietis præfato monasterio non teneri. Non enim factum illud contractum matrimonii potest dirimere, etsi forte posset matrimonium contrahendum impedire. De alio vero ita solicite discretio fraternitatis vestrae discutiat, quod si inueneritis eandem graui infirmitate depressam continentiam vovisse & virum ejus ad tempus præbuisse consensum, maxime si non idem vir peræque continentiam voverit perpetuam, eandem viro coabitare faciatis, & invicem utrumque maritali affectione tractare.

826.

1198—1200, 1223—1234.

Ärke-Bisk. Olofs i Upsala Gåfvobref på Husby till Kanikerna i Upsala.

A. 3. a. 1: 1.

Vniuersis catholice matris ecclesie filiis tam presentibus quam futuris suethie regnum inhabitantibus. O. superni regis miseratione sacrosancte upsalensis ecclesie archiepiscopus in eo qui omnium est salus salutem & magis

in deo condere quam in homine. benedictus deus pater domini nostri ihesu christi pater misericordiarum & deus tocius consolacionis qui nos desolatos non dereliquid. sed misericors in omni tribulacione nostra nos misericorditer ex alto uisitauit. qui nos in superlatiuo gradu super capita hominum constituens. pastorali dignitate decorauit. vnde creatori in omnibus & super omnia laudes & gracias digne referimus in perpetuum. iusticie & ueritati fideliter assistentes. a deo gratis accepta pro deo uolumus gratis impendere uniuersis. talia decent prelatos. et eosdem corona mirifice coram deo credimus decorare. Nos itaque freti rerum discrecione patrum orthodoxorum uestigia sequentes que in diocesi nostra secundum decretorum institutiones tempore nostro instituuntur uolumus consolidare. & canonice confirmare. decetero notum fiat uniuersis. que ad sustentacionem canonicorum nostre metropolis esse. quos pro deo nouimus pondus diei & estus sustentare. mansionem quandam que housbj nominatur. igitur non pecunia nostre ecclesie set pocius propria facultate nouimus adquisitam ad nostra peccata redimenda concedimus in perpetuum. & ne super hoc ulla aput aliquos oriatur ambiguitas in posterum. illud sigilli nostri priuilegio confirmamus. & corroboramus. Si quis autem contumax & deo contrarius contra hanc donacionem temere uenire presumserit. ab omni diuino officio separetur. & uinculo anathematis absque dubio innectitur Preterea qui hanc institutionem ratam & inconuulsam affectant permanere. nostram domini nostri ihesu christi & sancte marie & omnium sanctorum & nostram benedictionem consequatur in perpetuum; Valete.

Sigillet, något skadadt, finnes.

827.

I 200—I 201.

Ärke-Bisk. ABSALONS i Lund Testamente af fastigheter och lösören till andeliga inrättningar och namngifne personer.

L. a. 1.

*Testamentum Quod pius Pater noster Absolon Archiepiscopus ante obitum suum confecit.*

Quæ præsentí pagina continentur, ex testamento legavit & donavit. Venerabilis Dominus Absolon Lundensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sueciæ Primas, ad hoc vocatis & præsentibus Domino Esberno, Fratre suo, & Domino Gaufrido Abbe de Sora, & Tochone & Achone Præpositis & Magistro Johanne & Thordone Capellano suo, Lundensis Ecclesiæ Canonicis, & Anfrido Presbittero, & Haquino Camerario suo, & Paulo & Simone pueris suis, & Henrico Converso de Sora, totum videlicet patrimonium suum, excepto Fialensleve, quod Fratri suo contulit, Monasterio de Sora donavit.